MAGNUM LEGENDARIUM AUSTRIACUM (PARS VI: 1.11. 1.12.)

Melk, um 1470

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36450
Copyright: Melk, Benediktinerstift

te mutata cellulam conductam sibi in
qua lectulum beati antistitis haberi
experierat, putans sibi presidium fore, si
cancellos ipsius lectuli contigisset.
Lectulum autem non aliter dicit, nisi quod
in pavimentum illud substrato cinere
apposito capiti lapidem istius nostri
temporis flexa cervice recubuit.
Ergo ad hoc oraculum mulier viro a-
nimiculiter deducitur. In quo per mul-
tos dies orationem compuncta fundebat.
Tandem pie- tas sepe ad miserandum
profusa ve- re prospiciens visum mulie-
ri amissum restituit. Tantaque deinceps
feminam fides attendit ut usque ad
diem sui obitus numquam a loco illo
discederet. Incola vero Andeca-
vensis urbis, turbatis membris
morbo caput convertit ad lectulum.
Dehinc per dies singulos invalescen-
te febre cunctis artubus destitutus,
auditu et locutione privatur. Post
paucos vero dies cum de febre convalu-
isset et sine voce maneret, ablata sibi
a fratribus facultatis parte de domo
paterna proicitur, dicentibus fratribus: Hic
amens effectus est. Non patiatur deus
quod aut facultati nostre inhereat
aut parte hereditatis acquirat. Erat
enim ingenuus et possessionem propriam in-
colentes. Sed nichil cogitantes de
his que dei erant, eiecerunt mutum et
surdum quem potius fovere debuerat.
Ille vero quamquam sine his usibus
esset, sensum tamen in corde retinebat.
Porro autem apprehensis manu tabulis
inter se collisis vocem querentis imita-
batur. Cum enim artificio ad supra-
dictum vicum advenit ibique aliis sti-
pem flagitantibus adiungitur. Sextus

Igitur iam defluxerat annus, quod
pauper iste ad victus sancte cellu-
le vescebatur. Factum est autem in una
dominicarum nocte, dum in domo hospi-
tis sui decumberet, subito locus
ille inmenso implebatur lumine. Et
ecce hic pavore perterritus solo pro-
sternitur, et statim visus est ei vir quidam
sacerdotali habitu comptus tangere
eum et crucem Christi fronti eius imponens
ait: Dominus te sanum fecit. Surge et
propera ad ecclesiam et age gratias deo tuo.
Ipse autem elevata cum gratiarum actio-
ne voce, clamoribus vicinia complet.
Illico concurrunt omnes ad spectacu-
lum et mirantur loquentem quem pri-
die viderant mutum. Interea signum
movetur horis matutinis, aggregatur et
populus vigiliis celebratis, que virtus
sancti clarificata perpatuit. His die-
bus duo energumini in hoc loco
eiecto demone mundati sunt.
Sed revertamur ad Aridium nostrum,
immo etiam peculiarem ut ita dicam
beati confessoris alumnum, cui sepius
de suis pignoribus cernere miracula
prestat. Hic ad festivitatem sancti Marti-
ni cum illa qua solitus est benignitate
humilitate et caritate pervenit. Re-
grediens vero ampullam parvulam
de oleo sancti sepulcri completam secum
detulit dicens: Forsitan infirmus
aliquis mihi adest qui a beati
Martini exe benedictione corde compunc-
tus accipere desideret. Deinde in quodam
loco mulier devota accessit ad eum
exhibens ampullam aliam cum oleo di-
cens: Rogo te serve Christi ut tua hoc
oleum benedictione sanctifices. At ille
ne vanitati subiectus videretur ait: